

XII. Quare nescio quo fundamento, vel quo motivo aliqui auctores oppositi sic in vulgus scriptis suis spargant, Thomistas antiquos denegasse Deo scientiam horum futurorum, recentiores vero vi argumentorum pro sententia opposita convictos illam concessisse, confugisse autem paucis abhinc annis ad illud asylum de decretis conditionatis, in quibus Deus futura illa certo attingat; licet contra illa infeliciter pugnassem Suarez, Ruiz, aliosque societatis doctores anxie deploret p. Alarcon tractatu de scientia Dei, disp. iv, citata, cap. vi, n. vii et viii, quia in eo una cum adversariis inquit, in eadem sententiam conspirant, et solum in modo loquendi dissociantur. Unde totius triumphum palmam et felicitatem uni Vasquez defert, qui nullo decreto conditionali actu existente concessio hanc scientiam mediam sustinuit.

Certe in his omnibus quam parum sinceræ veritati, sed solum rumori, aut famæ attendatur, manifeste constat. Nam quod attinet ad antiquos Thomistas, jam de eorum sensu ex relatis eorum auctoritatibus constat, in substantia enim non dissentiunt, sed in aliena re minus principali, et non tanti momenti, nec quæ tangit punctum controversiæ. Omnes enim conveniunt tam antiquiores, quam minus antiqui in hoc, quod sine decreto Dei, et antecederet ad illud, ista futura cognoscibilia non sunt certo, sive illud nominetur decretum formale, sive virtuale, sive continentia in essentia divina ante explicitum decretum voluntatis circa illa futura, quia de se determinationem non habent, sed indifferentiam, et in hoc pari passu currunt conditionata et absoluta futura. Neutra enim ex vi causarum proximarum tantum, et secluso decreto Dei determinante, habent de se nisi indif-

ferentiam. Et ita si pure ad id respiciat Deus, et non ad se, non poterit videre in illis nisi indifferentiam, et si quam inclinationem et determinationem videt erga alteram partem, illa in vi talium causarum solum est fallibilis, et contingens et imperfecta. Quare ad infallibilitatem indiget Deus recurrere ad infallibile principium quod est aliquid voluntatis et dispositionis divinæ, et hoc non potest esse nisi decretum. In hoc omnes Thomistæ semper et constanter convenerunt et conveniunt, neque ulla argumentorum vis potuit propugnaculum hujus veritatis concutere; sine autem scientia media omnino extinguitur. Differentia autem si qua fuit, ad hoc tantum reducitur, quod aliqui ex antiquis Thomistis non admittebant hujusmodi decreta in Deo dari de facto saltem pro omnibus combinationibus, quæ circa ista conditionata fieri et multiplicari possunt in infinitum: sed qui dantur, solum sunt circa aliquas veritates, quæ ad præsentem providentiam Dei spectant; sed neque hoc esse ita certum quin possint aliqua Scripturæ loca exponi in sensu probabili sine talibus decretis conditionatorum. Alii vero Thomistæ absolute admittunt dari de facto talia decreta, nec in hoc inveniunt inconveniens. Quidquid tamen sit, in hoc non est multum immorandum, cum non fuerit unquam in hoc punctus controversiæ de scientia media, ut supra ostensum est, et amplius infra dicetur.

XIII. Ex hoc autem constat fuisse agnita ista decreta statim ab initio hujus controversiæ, non paucis abhinc annis inventa, ut fingit auctor ille Alarcon. Nam omnes isti auctores citati agunt de illis, et Ledesma quantum ad aliqua futura conditionata, admittit illa, et similiter. M. Nugno, et Cabrera simpliciter. Zumel autem etiam probabiliter illa

admittit in tomo de auxiliis, licet super primam partem illa non admiserit. Adde quod in disputatione habita coram sanctissimo Clemente VIII, circa scientiam mediam in congregatione xxxv, admissa fuerunt a nostris hæc decreta respectu omnium futurorum conditionatorum, quæ sunt revelata in Scriptura, respectu vero aliorum quæ revelata non sunt, solum sunt admissa si Deus illa velit cognoscere in ratione futuri et non solum possibili. Illorum etiam mentionem fecit Vasquez supra i p. disp. lxxvii, c. iv, n. xxi et xxii, licet illa non admittat, admittit tamen p. Suarez libro ii de scientia conditionata, cap. vii, n. x, illa posse dari in Deo, de facto tamen dari non admittit. Isti autem fuerunt antiquiores Thomistæ, et oppositi auctores, qui de hac controversia egerunt. Et Vasquez composuit primum tomum in prima parte, ubi hæc decreta impugnat in initio hujus controversiæ ante quadraginta annos, si ergo illi canit triumphum auctor ille quod ita Thomistas terruerit in asserenda scientia conditionata sine illis decretis, impugnavit ergo Vasquez illa decreta conditionata, vere enim illa non admittit, ergo jam tunc asserebantur ab aliquibus sicut ab ipsa impugnabantur. Quomodo ergo dicit paucis abhinc annis fuisse inventa a Thomistis, si ab ipso initio impugnabantur a Vasquez et asserebantur ab his, contra quos ea impugnabat. Hæc omnia satis ostendunt quam inaniter loquantur auctores, qui talia imponunt Thomistis et quam sine fundamento. Quæ autem nos dicimus, ex auctoritatibus et verbis auctorum expressis adduximus.

ORIGO, PROGRESSUSQUE SCIENTIÆ
MEDIÆ.

XIV. Si scientiæ mediæ nomine nihil aliud significaretur, quam scientia ipsa objectorum conditionatorum, quam Deus habet, vel in decretis suæ voluntatis, vel in essentia et ideis suis juxta varios dicendi modos supra relatos, non esset difficile hanc scientiam ex sacræ Scripturæ, et sanctorum patrum fontibus derivare, qui horum conditionatorum futuritionis scientiam Deo attribuunt. Nunc autem cum nomine scientiæ mediæ illa cognitio intelligatur talium conditionatorum, quæ ante omnem determinationem divinæ voluntatis Deo conveniat, ita quod necessario Deus prævideat quidquid facturum est liberum arbitrium pro quacumque occasione et conditione, in qua ponetur ex sola penetratione ipsius liberi arbitrii utentis Dei concursu seu adjutorio in partem quam maluerit, sic talis modus scientiæ fuit familiaris Massiliensibus, et postea Fausto Rhegiensi, tactusque fuit a S. Prospero, propositusque Augustino nec ab ipso admissus. Nec inventio hoc ita fuisse inventum, aut explicatum anterioribus temporibus, licet enim etiam attribui soleat Origeni libro iii periarth. c. i et ii, de quo videri potest gravissimus D. Ram. relect. iii de scient. condition. circa iv concl. non tamen ita expressit hoc Origenes sicut Massilienses et Faustus. Nec negat p. Suarez fuisse agnitam et admissam a Semipelagianis hanc scientiam tractatu de prædestinatione, lib. ii, cap. v, num. v. « Non tamen in hoc, inquit, ipsi erraverunt, sed in eo quod male fuerint illa usi: » et revera abusos fuisse Semipelagianos hac scientia, ego non dubito pro ea par-

te qua eam posuerunt ut Deus ex meritis conditionate prævisis quosdam eligeret, alios rejiceret, et gratiam daret, vel negaret tamquam ex meritis, sed etiam illa usi sunt ad conciliandam libertatem nostram cum gratia divina, quia existimabant: « Removeri omnem industriam, tollique virtutes si divina constitutio (hoc est decretum) humanas præveniat voluntates, » ut dicit S. Prosper in epistola ad Augustinum circa principium. Admittebant autem propositum Dei innixum præscientiæ eorum, quæ a nobis facienda sunt, ut postea expendemus. Similiter etiam censores ab Apostolica Sede tempore felicis recordationis Clementis VIII, deputati ad examinandas propositiones quasdam Molinæ in xxxiii congregatione, anno 1601, existimarunt (duobus eorum exceptis) inventum de scientia media fuisse olim excogitatum a Massiliensibus ad extenuandam gratiam affectricem bonæ voluntatis, ut ex libro quodam manuscripto D. Francisci de Pegna decani Rotæ, qui præsens tunc affuit cum testimonio fide digno extractum vidimus, et infra articulo VI, ad longum referimus.

XV. Quare negandum non est incidisse Massilienses in hanc scientiam mediam, et apud eos adolevisse, licet ipsi ex pravo motivo ducti sint; incidit, et in eadem his temporibus Molina, et qui eam deinceps secuti sunt, ut infallibilitatem tribuerent divinæ gratiæ cum omni moda libertate humani arbitrii, reducendo totam infallibilitatem ad infallibilitatem præscientiæ, non causalitatis in gratia, et decretis divinis. Ut ergo hanc originem scientiæ mediæ plenius intelligamus sciendum est Massilienses, in quibus fuit Cassianus, et alii Semipelagiani ex Gallia, et postea Faustus Blegiensis, duo tamquam principia

erroris sui inter alia supposuisse. Primum, quod Deus non dabat dona gratiæ suæ, nisi supponendo aliqua merita, vel initia, quorum intuitu Deus illa daret, quia non poterant capere quomodo Deus non esset acceptor personarum si stantibus æqualibus demeritis, daret quibusdam dona sua, aliis denegaret. Secundum, quod si poneretur decretum Dei seu constitutio, aut prædestinatio antecedens nostram voluntatem, libertas peribat, et removebatur omnis industria, tollebanturque virtutes. Utrumque hoc constat ex epistolis Prosperi et Hilarii ad S. Augustinum quæ sunt ante librum de prædestinatione sanctorum. Primum quidem constat ex illis verbis in epistola Hilarii citata: « De compendio putant rationem reddi electorum, vel rejectorum in eo quod unicuique meritum propriæ voluntatis adjungitur. » In epistola etiam Prosperi dicitur Semipelagianos istos affirmasse: « Voluntatem nostram ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur pervenire per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bona naturæ bene usus, ut ad istam salvantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit pervenire. » Et iterum infra: « Quantum ad Deum pertinet, omnibus dicunt paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. » Sic ergo Massilienses et Semipelagiani distinguebant inter bona opera, seu fidem, et initia boni operis. Bona ipsa opera dicebant ex gratia esse, et in hoc Pelagianis contradicebant. Initia autem proponebant esse ipsa desideria, petitiones, excitationesque ad bona opera, quibus inchoatur ipsum bene operari, et hæc dicebant esse a nobis, et in-

tuitu illorum Deum dare gratiam, denegare vero illis, qui non habent.

XVI. Secundum vero quod Semipelagiani asserebant, constat ex eadem epistola Prosperi in illis verbis: « Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes dicunt, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, et sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam necessitatem induci. » Quia vero omnino non poterant negare Dei propositum et prædestinationem quam toties Scriptura commendat, admittebant duplici modo hoc propositum, seu decretum prædestinativum, seu prædefinitivum. Primo, admittebant propositum Dei absolutum, et independens a voluntate nostra quoad ponenda aliqua media sufficientia. Alio modo ponebant propositum quoad efficaciam dependens a nostra voluntate prævisa ante omne decretum seu propositum per Dei præscientiam. Primum patet ex illis verbis Prosperi in epistola: « Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt quod Deus constituerit nullum in regnum suum, nisi per Sacramentum regenerationis assumere, et ad hoc salutis donum omnes homines universaliter sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam prædicationem vocari. » Ecce vocationem generalem ad remedium peccati (quod utique se habet ut sufficiens gratia) dicebant ex Dei decreto provenire, nullo habito respectu ad voluntatem nostram, sed ad solam bonitatem suam: « Ut bonitas, dicebant, in eo appareat si neminem repellat a vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri. » Et infra adhuc magis exprimit hoc pertinuisse ad sufficiens auxilium, efficaciam vero dari dependenter a libero arbitrio illis verbis supra relatis: « Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam

vitam æternam (ecce sufficiens medium,) quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi (ecce efficaciam quæ respicit id quod fit de facto) qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint. » Secundum vero patet ex verbis ejusdem Prosperi, circa finem epistolæ: « Pene omnium par invenitur, et una sententia, qua propositum et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, et sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate, et actione præscierit. » Ecce quomodo id quod efficaciæ est, et non solum sufficientiæ Dei, dicebant isti non dari in Deo nisi supposita præscientia, qua prævidebat Deus si daret hoc, vel illud adjutorium, quid voluntas faceret, et sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate præscierit; quod certe est ipsissima scientia media in terminis, quibus modo ponitur, ut postea ponderabitur.

XVII. Cum ergo ista principia sic assererent Semipelagiani, et sic admitterent propositum seu decretum Dei prædestinantis, aut prædefinientis, ad illa defendenda contra argumenta catholicorum, confugebat ad scientiam mediam, licet etiam abuterentur illa. Nam contra illud principium, quod Deus non dat dona sua, nisi supponendo aliquod initium bonæ voluntatis, urgebant catholici exempla, tum in parvulis, tum in adultis. In parvulis quidem, quia cum omnes æqualiter sint, peccato originali adstricti, quidam baptismum recipiunt, quidam sine illo decedunt, ad quod nulla propriæ voluntatis merita præsupponunt. In adultis autem, quia quod aliquibus prædicetur fides, aliis non prædicetur, vel quod tali tempore prædicetur,

tur, vel tali tempore venerit Christus, et non alio, non potest reduci ad voluntatis merita, cum præsupponantur omnes in peccato fuisse, et non meruisse, ut sibi fieret prædicatio præ aliis. His exemplis pressi Semipelagiani confugiebant ad scientiam mediam, et dicebant ut refert idem Prosper in dicta epistola: « Ex parvulis tales perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit. » Quod ibi refutat Prosper dicens: « Quod in tantum quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præterita quæ non extant, futura quæ non sint futura confingant, novoque absurditatis genere apud illos, et non agenda præscita sint, et præscita non acta sint. » De adultis autem adhuc rationabilius sibi videbantur id adstruere, scilicet: « Dari de humanis meritis præscientiam secundum quam gratia vocantis operetur, » ut ibi dicit Prosper. Et docebant: « Dispensasse Deum tempora et ministeria prædicationis juxta quod prævidebat aliquos credituros, et exorturam esse bonarum creditatem voluntatum, et quod ideo plurimi non renoventur, quia quod nec renovari utile habeant prænoscantur. » Ecce quomodo ab istis aserebatur scientia media præsciendi opera bona, vel mala cujuscumque voluntatis ante propositum, seu decretum Dei; in eo tamen maxime abutebantur ista scientia media, quia dicebant uti Deum operibus prævisis ab hac scientia ut intuitu illorum Deus daret gratiam, vel electionem. Et hoc ideo, quia fugiebant concedere quod gratia Dei omnia merita præveniret, sed aliquam voluntatem deberet supponere, si non de facto inventam, vel futuram, saltem quæ esset si viveret homo. Hoc est omnino erroneum et

ad hoc ponere scientiam mediam est directe Semipelagianum.

XVIII. Hoc autem remoto, de reliquo, scientia media ponebatur ab ipsis sicut modo ponitur, scilicet quod Deus præscit quid voluntas factura sit ante omne decretum Dei, quod voluntatem nostram præveniat, ut posita illa conditione velit, quia ipsi omne decretum præveniens voluntatem nostram negabant; et si semel admitterent conditionata illa futura bonæ voluntatis cognosci a Deo in aliquo præveniente decreto, posita illa conditione, manifeste deberent concedere etiam sic præveniri voluntatem purificata conditione, et in absolutum statum transeunte. Refugiebant autem ipsi omnem præventionem voluntatis per decretum Dei admittere quo putabant tolli libertatem, ut dicit S. Prosper citatus. Nec tamen negabant decretum præveniens per modum proponentis objectum, et moraliter moventis (omnis enim objecti propositio moralis motio est, ut pote media cognitione facta, ut colligitur ex illis verbis S. Prosperi: « Propositum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum nisi per Sacramentum regenerationis assumere, et ad hoc salutis donum omnes homines universaliter sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam prædicationem vocari. » Ubi ad propositum Dei seu decretum referebant id quod morali motione prævenit, et movet, sicut est vocatio gratiæ per prædicationem data (nec tamen negabant internam etiam illustrationem mentis, quam nec Pelagiani negarunt, ut constat ex libro Augustini de gratia Christi, c. x et xxiv, ut alibi latius probamus) sed tamen hanc vocantem gratiam dicebant operari secundum præscientiam Dei, quæ habetur de humanis

meritis, hoc est de voluntate hominis prævisa, ut colligitur ex illis verbis Prosperi in eadem epistola: « Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas. Hanc sane de humanis meritis præsentiam Dei, secundum quam gratia vocantis operetur, multo sibi rationalius videntur adstruere, etc. » Ecce quomodo ad vocandum nos, gratiam dicebant prævenire, sed ut operetur ista gratia vocantis, id est, ut efficax reddatur operationem habendo, id secundum præscientiam Dei habere dicebant, quæ de humanis meritis est, id est, de ipso consensu seu bono actu voluntatis, quod utique meritum est, id est, bonum opus. Licet autem ipsi nostra bona opera, vel potius initia, seu desideria dicerent esse vere merita seu motiva, ut Deus daret gratiam, et in hoc errarent; tamen quod gratia vocantis operetur, id est, effectum habeat, seu efficax sit secundum illam præscientiam esse dicebant, ergo efficaciam illam operandi dependentem faciebant a consensu nostro bono per illam præscientiam præviso. Nonne hoc secundum est ipsissima scientia media qualis nunc in his temporibus ponitur?

XIX. Similiter circa secundum eorum principium, scilicet: « Quod removeretur industria et virtutes (id est, tolleretur liberum arbitrium) si divina constitutio humanas præveniat voluntates, » cum urgerent catholici, et qui ex parte D. Augustini sentiebant pro gratia Dei, quod deberet admitti propositum Dei prædestinantis, et præordinantis ad vitam æternam, et sic gratia præoperans deberet admitti et non solum cooperans, prævia et non solum comitans: ad hoc solvendum con-

fugiebant ipsi etiam ad scientiam mediam, et dicebant propositum seu decretum Dei posse admitti secundum præscientiam seu innixum præscientiæ; per quam prævidet Deus quid unusquisque futurus est, non solum ex viribus propriis naturæ, sed etiam sub ipso gratiæ auxilio, ut patet ex illis verbis Prosperi sub finem epistolæ jam supra relatis: « Pene omnium par invenitur, et una scientia, qua propositum et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt (ecce quomodo libertatem non tollit per decretum supponens scientiam mediam, asserebant si quidem illud propositum seu decretum quod dicebant tollere virtutes, et libertatem si præveniret voluntates, admitterent si supponeret præscientiam, ergo tunc non tollere libertatem censebant) ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit (in hoc errabant) et sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate, et actione præscierit. » Ecce præscientia consensus futuri non ex viribus propriis tantum, sed sub adjutorio Dei, non quidem prædeterminante, seu præoperante, sic enim dicebant tollere libertatem, sed indifferenter voluntati oblato, ut determinet ipsa quod voluerit, vel reddendo inefficax auxilium, vel efficax faciendo. Quod de dono perseverantiæ (quod pertinet ad efficax auxilium) Massilienses dicebant, ut in epistola Hilarii dicitur: « Quod scilicet quodlibet donum prædestinatis datum (loquebantur de dono perseverantiæ quod pertinet ad efficax auxilium) id posse et amittere et retinere propria voluntate (quod est auxilium non esse efficax ex natura sua, sed ex nostro consensu secuto). » Addit autem Hilarius: « Quod non falsum esset, si verum putarent eam quosdam per-